UNIVERSITY OF ILLINOIS

Programm

des

evangelischen Gymnasiums

zu

Gütersloh.

Ostern 1861

herausgegeben vom

Director Dr. Theodor Rumpel.

Inhalt: De deorum apud Sophoclem epithetis, von Gymnasiallehrer Scholz II.
Bericht über das Schuljahr von Ostern 1860 bis Ostern 1861.

Gütersloh, gedruckt bei C. Bertelsmann.
1861.

DE
DEORUM APUD SOPHOCLEM EPITHETIS.

Notissimum illud Herodoti dictum 2, 53: „οὗτοι δέ (scil. Ἡσίοδος καὶ Ὅμηρος) εἰσι οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι καὶ θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες καὶ εἴδεα σημήναντες“ ita tantum verum esse, si certis quibusdam finibus circumscribatur, rectissime a Prellero, mythol. graeca p. 14 monitum mihi videtur. Quamquam enim certissimum est, nobilissimorum illorum poetarum hanc fuisse vim, ut deorum imagines ac formae, quae in eorum carminibus audientium vel legentium animis obversabantur, longe lateque apud Graecos vulgarentur et certum quasi domicilium obtinerent, tamen inde non sequitur, epicos illos poetas pro auctoribus et inventoribus θεογονίας graecae habendos esse.

Primum enim vis illa, quam Herodotus Homero et Hesiodo tribuit omnino ultra humanum modum est, deinde carmina eorum ne antiquissima quidem Graecorum carmina, sed antiquissima tantum litterarum graecarum monumenta fuisse jam ab omnibus conceditur. Quae quum ita sint, nec poetis illis honorem debitum detrahemus, nec veritati repugnabimus, si eos pro antiquissimis mythologiae graecae fontibus et ut ita dicam thesauris habebimus. (Preller l. l.) Quum enim horum poetarum carmina propter eximias virtutes in omnium ore essent, fieri non potuit, quin certa nomina et systemata deorum, certae genealogiae, certa epitheta, quae in iis occurrunt, praeter alia dominarentur.

Horum poetarum quanta vis fuerit ad Graecorum ingenia excolenda et conformanda, posteriorum et poetarum et artificum operibus satis declaratur, quorum praestantissimus quisque vestigiis eorum maxime insistebat. Hesiodum autem hoc loco praetereamus, ad solum Homerum animum advertamus. — Quanto opere carmina ejus in animis omnium inhaeserint, cum reliquorum scriptorum libri tum poetarum tragicorum fabulae demonstrant. Jam quum ejusmodi inquisitio, quae ad omnes poetas tragicos pertinet et virium nostrarum modulum et terminos nobis concessos excessura sit, satis habebimus accuratius inquirere, quam vim Homeri carmina habuerint ad theologiam Sophoclis conformandam. Quod quo melius intelligatur, singulorum deorum dearumque imagines ita lectorum animis repraesentabimus, ut eorum epitheta quae apud Sophoclem occurrunt certo quodam ordine disposita tractemus.

Ante antem quam de singulorum deorum epithetis agimus, paucis verbis ea attingamus quae in fabulis Sophocleis omnium deorum communia leguntur; quae pauca sunt. Primum quod ad loca attinet quae dii incolunt, poeta distinguit inter deos superos (τοὺς ἄνω θεούς Antig. 1072—73. edit. Schneidewin.) et inferos (τοὺς κάτω θεούς, Antig. 75. Electr. 292.

— *θεοὺς τοὺς νερτέρους* Ant. 602. — *τοὺς κάτωθεν θεούς* ibid. 1070). Sicut dii superi apud Homerum dicuntur: *Ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχοντες* Il. 2, 13, ita apud Sophoclem appellantur *θεοὶ Ὀλύμπιοι* (Phil. 315). Praeterea conf. Oed. Col. 1655, ubi Theseus *τὸν θεῶν Ὄλυμπον* adoravisse dicitur. In aliquot locis deorum domicilia angustioribus quasi finibus circumscribuntur, veluti epithetis *θ. ἐγχώριοι* (Trach. 183) *θ. ἐγγενεῖς* (El. 428) qui iidem sunt cum *θ. πατρῴοις* (El. 411).

Transeamus ad deorum naturam. — Immortalitatem sive aeternitatem deorum, quam Homerus saepissime epithetis *θ. αἰὲν ἐόντες*, *θ. αἰειγενέται*, *θ. ἄμβροτος* celebrat, Sophocles non certo quidem epitheto significat, attamen mentionem hujus naturae facit pulchro illo loco, ubi Oedipus ad Theseum verba faciens dicit: *ὦ φίλτατ᾽ Αἰγέως παῖ, μόνοις οὐ γίγνεται θεοῖσι γῆρας οὐδὲ κατθανεῖν ποτέ, τὰ δ᾽ ἄλλα συγχεῖ πάνθ᾽ ὁ παγκρατὴς χρόνος.* (Oed. Col. 607—9). Praeterea epitheto *θ. ἐπόψιοι* (Phil. 1040) significatur, deos non solum omnia videre, sed etiam scelera malorum hominum ulcisci. — Denique notandum est, *σωτήριος* epitheton, quod in El. 281 commemoratur, omnibus quidem deis tamquam epitheton commune attribui videri, re autem vera tantum Jovis, Apollinis et Minervae proprium esse, qui et in aliis locis *θεοὶ ἀποτρόπαιοι* nominantur. Primum videamus

A.
De diis, qui in coelo regnant.
I. Dii qui dicuntur majorum gentium.
1. *Ζεύς.*

Longe plurimis epithetis ut par est summus deorum a Sophocle afficitur. Primum eodem modo quo Homerus Jovem appellat *Ὀλύμπιον*, Jupiter apud nostrum poetam nominatur *πατὴρ Ὀλύμπιος* (Trach. 275) et *θεὸς ὁ μέγας Ὀλύμπιος* (El. 209). Eodem pertinent quae leguntur in Ajac. 1389: *Ὀλύμπου τοῦδ᾽ ὁ πρεσβεύων πατήρ* et in El. 174: *μέγας οὐρανῷ.* — Praeterea sedes Jovis, quae ab Homero epitheto *ὁ ὕψοθ᾽ ἐών* describitur (Il. 10, 16) accuratius a Sophocle definitur verbis: *ὁ κατ᾽ ἄστρα Ζεύς* (Trach. 1106). Uno tantum loco sedes terrestris Jovi tribuitur: *Δωδῶνι ναίων, ὁμέστιος βροτῶν* (fragm. 401. D.) cf. *Ζεὺς Δωδωναῖος* (Il. 16, 233).

Jovem potentissimum deorum esse eorumque parentem Sophocles pariter atque Homerus (apud quem nominatur *πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, ἐρισθενής, κάρτιστος*) plurimis epithetis exprimit. — Primum huc pertinet cognomen *πατήρ* quod in quatuor locis reperitur (Aj. 1389. — Phil. 1440. Oed. Rex 202. Trach. 275). Praeterea Jupiter appellatur *παγκρατὴς Κρόνου παῖς* (Phil. 680. Phaedr. fr. 607) *ὕψιστος* (Phil. 1289) *ὃς πάντα κρατύνει* (El. 174) *πάντ᾽ ἀνάσσων* (Oed. Rex 904) *ἄναξ* (Oed. Col. 1485) *πάνταρχος θεῶν* (Oed. 1085). — Imperium ejus extenditur in universam naturam, unde nominatur *πυρφόρος ἀστεροπητής* (Phil. 1198) *βαρυβρεμέτης* (Ant. 1118) *πυρφόρων ἀστραπᾶν κράτη νέμων* (Oed. Rex 200—02) Cf. epitheta Homerica: *ὑψιβρεμέτης, ἐριβρεμέτης, τερπικέραυνος, νεφεληγερέτα, στεροπηγερέτα, ἀργικέραυνος.* — Cum hac omnipotentia conjuncta est facultas omnia et praesentia et futura perspiciendi id quod Sophocles his epithetis declarat: *ὁ πάνθ᾽ ὁρῶν ἀεί* (Ant. 184) *ὃς ἐφορᾷ*

πάντα (El. 175) παντόπτης (Oed. Col. 1085) ὁ μὲν οὖν Ζεὺς ὅ τ' Ἀπόλλων ξυνετοὶ καὶ τὰ βροτῶν εἰδότες (Oed. Rex 498) τῶν μελλόντων ταμίας (Ter. fr. 515) et in hac re secutus Homerum, qui de Jove praedicat: ὁ γάρ τ' εὖ οἶδεν ἅπαντα, μοῖράν τ' ἀμμορίην τε καταθνητῶν ἀνθρώπων (Odyss. 20, 75—76) eumque εὐρύοπα Κρονίδην nominat.

Haec summa Jovis potentia in omnibus rebus humanis conspicitur. Ad eum confugiunt omnes supplices (Z. ἱκέσιος Phil. 484 s. ἀραῖος Phil. 1181.) cf. Homerica epitheta Z. ἱκετήσιος et ξείνιος. Per ejus nomen jusjurandum sollenne concipitur. (Ζεὺς ὅρκιος Phil. 1324. cf. Stephan. thes. s. v. sive ἐπώμοτος Trach. 1188). Idem est patronus domicilii (Z. ἐφέστιος Aj. 492 s. ἑρκεῖος Ant. 487; idem epith. occurrit apud Homerum Od. 13, 213) et consanguinitatis (Z. ξύναιμος Ant. 659 s. πατρῷος Trach. 288). Praeterea succurrit miseris et pericula avertit (Z. ἀλεξήτωρ Oed. Col. 142 Z. σωτήριος fragm. 375. D. Z. πανσίλυπος ibid.) in bello victoribus adest et triumphum iis donat (Z. τροπαῖος Ant. 143 Trach. 303). Idem certaminibus praeest (Z. ἀγώνιος Trach. 26). Denique Jupiter a Sophocle nominatur Z. μόριος (Oed. Col. 705) quia Atheniensium oleis praeerat nimiumque calorem defendebat (Preller p. 84) et Z. κέναιος (Trach. 238) quod in Cenaeo promontorio Euboeae insulae colebatur.

Quum Sophocles in iis quae supersunt fabulis Junonis et Vulcani nusquam mentionem fecerit, jam nobis agendum erit de Minerva filia Jovis.

2. Ἀθήνη.

Παλλάς cognomen quod toties ab Homero huic deae tribuitur apud nostrum quoque poetam duobus locis reperitur (Ant. 1184 et Oed. Col. 1090). Eodem modo quo Homerus saepius eam appellat Jovis filiam (Aj. 91, 402, 450, 952. Oed. Col. 1090. Oed. Rex 189). Ad externam ejus formam describendam non solum utitur epitheto illo apud Homerum frequentissimo γλαυκῶπις (Oed. Col. 706) sed etiam alio quod apud Homerum non legitur: γοργῶπις (Aj. 450) id est „torva tuens.“ — Praeterea tribuit huic deae epitheton χρυσέα (Oed. Rex 189) quod apud Homerum Veneris proprium est. Quum Minerva summo apud Athenienses honore coleretur, magna cum reverentia mentionem ejus facit. Quae huc pertinent epitheta sunt: δῖα (Aj. 757, 771. cf. Homeri δῖα θεάων Il. 6, 305) ἄνασσα (Aj. 774) δεινή (Aj. 952 cf. δεινὴ θεός Il. 6, 380) ἀλκίμα (Aj. 401) ἀδάματος (Aj. 450) quo epitheto simul virginitas Minervae praedicatur, ἄμβροτος (Oed. Rex 159) μεγίστη (Oed. Col. 107) σεμνά (Oed. Col. 1090). cf. Homericum epith. πότνια Il. 6, 305. Restant tria epitheta quae Minervam tanquam urbis Athenarum et terrae Atticae patronam celebrant. Quum enim dea propter victoriam de Gigantibus reportatam in pulcherrimo templo ab Atheniensibus coleretur, sollenni cognomine *Νίκη* appellatur (Phil. 134) praeterea *Πολιάς* (ibid.) quia arcem Athenarum incolebat et *Ἱππία* (Oed. Col. 1070) quod simul cum Neptuno certaminibus equestribus praeerat et cum illo in eodem templo prope Colonum colebatur. (Preller p. 136, 142.)

3. Ἀπόλλων.

Hunc deum pariter atque Minervam Jove oriundum esse poeta designat verbis: ὁ Διὸς γενέτας (Oed. Rex 470). Simul duobus locis notissimae illius insulae mentionem facit ubi in lucem

editus ferebatur, epitheto ὁ Δάλιος (Aj. 704. Oed. Rex 154). Eodem modo quo Homerus saepius Apollinem honorifice appellat ἄνακτα (Aj. 703. El. 645, 1376. Oed. Rex 80, 203). Porro ad lucidam hujus dei naturam designandam frequentissimo illo apud Homerum cognomine Φοῖβος ter utitur (El. 35. Aj. 187. Oed. Rex 1097). Jaculandi peritiam quam Homerus tot epithetis Apollini tribuit (ἑκήβολος, ἑκατηβελέτης, ἑκάεργος, ἑκατηβόλος, ἕκατος, ἀφήτωρ, ἤϊος; ἀργυρότοξος, κλυτότοξος) noster poeta uno tantum epitheto attingit (ἑκαβόλος Oed. Rex 162). — Deum hac jaculandi facultate usum fuisse ad lupos interficiendos indicatur epithetis duobus: λυκοκτόνος (El. 6) et Λύκειος (El. 655, 1379. Oed. Rex 203). Preller p. 183. Praeterea etiam nominatur ἀγρευτάς (Oed. Col. 1091) et εὐφαρέτρας (Trach. 208). Apollo omnino est deus tutelaris qui homines a rebus adversis defendit (προστατήριος El. 637 sive προστάτας Trach. 209) et morbis medetur (Παιάν Oed. Rex 154 et ἰήϊος ibid. et 1097). Praesentiam numinis sui hominibus facile aperit (εὔγνωστος Aj. 704). Denique vaticinandi facultas huic deo tribuitur epithetis ἐνόλμιος (fr. 875) quod idem est atque μαντικός cf. Steph. Thes. s. v. et Λοξίας (El. 82. Oed. Rex 410, 853) quo ambiguitatem effatorum ejus designari notum est.

4. Ἄρτεμις.

Tribus locis Sophocles de origine hujus deae loquitur. In Oed. Reg. 160 appellat eam ἀδελφεὰν Ἀθάνας, in Oed. Col. 1092 κασιγνήταν Ἀπόλλωνος et in Trach. 212 ὁμόσπορον Ἀπόλλωνος. — Hanc deam una cum fratre Apolline in Delo insula natam esse indicat epitheto Ὀρτυγία (Trach. 212) quod antiquum Deli nomen fuisse constat. Potentia ejus declaratur cognomine δέσποινα (El. 626) cf. epitheton γαιάοχος (Oed. Rex 160). Sicut Homerus Dianam vocat ἁγνήν (Il. 5, 123) ita Sophocles virginitatem deae praedicat epithetis: ἁ αἰὲν ἀδμήτα (El. 1239) et κόρα (Trach. 637). Porro Homerum qui eam ἰοχέαιραν et ἀγροτέρην appellat, in eo noster poeta secutus est, quod eam venationi deditam describit: Ἀ. κυναγός (El. 563) πυκνοστίκτων ὀπαδὸς ὠκυπόδων ἐλάφων (Oed. Col. 1093—94) ἐλαφαβόλος (Trach. 214). Huc illud quoque hujus deae epitheton pertinere videtur quod in Aj. 172 reperitur: Ἀ. Ταυροπόλα i. e. quae fero tauro invehitur. Cf. Preller p. 194. Schneidew. ad h. l. — Epitheto ἀμφίπυρος (Trach. 214) ambabus manibus faces gestans per montes vagari significatur. Cf. Oed. Rex 206—207: τάς τε πυρφόρους Ἀρτέμιδος αἴγλας, ξὺν αἷς Λύκι' ὄρεα διάσσει cf. Schneidew. ad h. l. — Eam non solum venando, sed etiam muliebribus opificiis occupatam esse, indicat poeta epitheto χρυσαλάκατος (Trach. 637) quod jam apud Homerum reperitur. Il. 16, 183. Od. 4, 122).

5. Ἄρης.

Multo rarior hujus dei fit mentio apud Sophoclem quam apud Homerum, id quod ex diversis carminum argumentis necessario sequitur. — Ad magnam Martis potentiam designandam poeta utitur duobus epithetis: μέγας (Ant. 139) et δεξιόσειρος (Ant. 140) quod proprie de equo dextro funali dicitur. Cf. Ellendt lex. Soph. — Sicut Homerus Martem appellat χάλκεον (Il. 5, 704) ita Sophocles aeneum ei thoracem tribuit (χαλκοθώραξ Aj. 179) vel in eo Homerum secutus quod eum Ἐνυάλιον s. bellicosum nominat (ibid.). Deus magna cum vi et ira in hostes

adversos irruit (*θούριος* Aj. 613, *δυςέριστον αἷμα φυσῶν* El. 1385) eos terribili voce fugat (*χαλκοβόας* Oed. Col. 1045 et *περιβόητος* Oed. Rex 191. cf. epitheta Homerica *χαλκεόφωνος, βριήπυος*) cruentamque stragem facit (*φοίνιος* El. 96. cf. *Ἀ. μιαιφόνος* Il. 21, 402). Deus in Ant. 970 dicitur *ἀγχίπολις*, accola (Salmydessi urbis) propter bellicam Thracum ferociam v. Ellendt lex. Soph. s. v. — Praeterea Sophocles diram illam pestem quam in primo Oed. Reg. cantico vividissimis coloribus describit a Marte deo ducit eumque propterea nominat *Ἄρεα μάλερον, ἄχαλκον ἀσπίδων* (Oed. Rex 190) v. Preller p. 206.

6. *Ἀφροδίτη.*

Multorum cognominum, quibus Venus dea insigniebatur (*πολλῶν ὀνομάτων ἐπώνυμος* fr. 678) duo tantum apud Sophoclem reperiuntur. Primum illud jam ex Homero notissimum *Κύπρις* (Trach. 498, 515) praeterea *Κυθέρεια* (fr. 879). Omnino quatuor tantum locis haec dea a poeta commemoratur. Ad venustatem ejus demonstrandam aureas habenas ei tribuit, quibus currum equis vel columbis vectum dirigit. (*Ἀ. χρυσάνιος* Oed. Col. 692. cf. *Ἀ. χρύσεα* Il. 3, 64. Odyss. 8, 337.) Quum Venus hortorum, florum et veris dea sit, nominatur *εὔκαρπος* (fr. 879) cf. epith. Homer *εὐστέφανος*. — Denique potestatem quam in hominum animos exercet insuperabilem esse et deam rebus venereis favere declaratur duobus epithetis: *ἄμαχος θεός* (Ant. 800) et *εὔλεκτρος* (Trach. 515). Conf. praeterea prima hujus cantici verba: *μέγα τι σθένος ἁ Κύπρις ἐκφέρεται νίκας ἀεί* (Trach. 498).

Filium ejus *Ἔρωτα* eandem cum matre Venere potentiam in hominum mentes exercere, praeclarissimo illo Antigonae cantico declaratur, quod incipit: *Ἔρως, ἀνίκατε μάχαν* (Ant. 781).

7. *Ἑρμῆς.*

Mercurius, Jovis filius, a Sophocle nominatur *ὁ Κυλλάνας ἀνάσσων* (Oed. Rex 1104, quia in Cyllene, Arcadiae monte, Maja natus dicebatur ibique summis honoribus colebatur. — Inter varia munera quae callido huic deo a poetis et mythologis assignantur Sophocles tantummodo mentionem facit muneris animos mortuorum ad inferos deducendi. (*Ἑ. πομπαῖος* El. 832 *ὁ πομπός* Oed. Col. 1548 *χθόνιος* El. 111, 832). Callidos ejus mores describit epitheto *δόλιος* (Phil. 133). Denique commemorat deum hac calliditate usum esse in bubus Solis abigendis (*βοόκλεψ* fr. 857). Cf. Preller p. 243.

II. Dii minorum gentium.

1. *Θέμις.*

Hujus deae quae antistita juris divini est uno tantum loco Sophocles mentionem facit (El. 1064) eam *οὐρανίαν* nominans.

2. *Μοῦσαι.*

Musae a poeta nostro appellantur *φίλαυλοι* (Antig. 965) et *Ἑλικωνίδες νύμφαι* (Oed. Rex 1108). Praeterea aedificandi quoque artem ad eas refert id quod docet *τεκτόναρχος* epitheton (fragm. 170 D.).

3. Νίκη.

Victoria dea appellatur *μεγαλώνυμος* (Ant. 148) propter egregiam famam cujus auctor est. Cf. Ellendt. lex. Soph. s. v.

4. Ἥλιος.

Solem magnis laudibus poeta celebrat eique summam tribuit potentiam. Etenim non solum ut Homerus *ἄνακτα* appellat (Oed. Rex 1426) et *δεσπότην* (fr. 480) sed etiam *πάντων θεῶν θεὸν πρόμον* (Oed. Rex 660) et *γεννητὴν θεῶν* (fr. 772) cujus numen vel a bellicosis Thracibus religiose colitur (*φιλίπποις Θρῃξὶ πρέσβιστον σέβας* fr. 523). Sicut Homerus Solem dicit *πάντ' ἐφορᾶν καὶ πάντ' ἐπακούειν*, ita Sophocles facultatem ei tribuit omnia oculis perlustrandi: *ὁ πάντα λεύσσων* (Oed. Col. 869) et *ὁ κρατιστεύων κατ' ὄμμα* (Trach. 101). Eundem curru suo vehentem et ardua coeli spatia pervolantem describit verbis: *ὁ τὸν αἰπὺν οὐρανὸν διφρηλατῶν* (Aj. 845) et *διφρευτής* (ibid 857). Cf. cum his epithetis Homerica illa *ὑπερίων* et *ὑπεριονίδης ἄναξ*.

5. Μοῖραι et Κῆρες.

Distinguendum est inter formam singularem *ἡ Μοῖρα* quae eadem esse videtur cum Fato et appellatur *μεγάλη* (Phil. 1466), quia nemo potentiam ejus effugere potest (cf. Homericum *κραταιή* Il. 5, 83) et pluralem *αἱ Μοῖραι* i. e. deae fatis administrandis praefectae quae a poeta nominantur *μακραίωνες* (Ant. 987) cf. Ellendt. lex. Soph. s. v.

Cognatae harum dearum sunt *αἱ Κῆρες* quae dicuntur *δειναί, ἀναπλάκητοι* (Oed. Rex 471—72) quod schol. explicat: *αἱ μηδὲν ἁμαρτάνουσαι ἀλλὰ πάντων κρατοῦσαι, ἢ ἄφυκτοι, ἀπλάνητοι;* cf. Homericum *βαρεῖαι*. Il. 1, 97.

6. Νέμεσις.

Dea ultrix cujus in carminibus Homericis nondum mentio fit (Preller p. 352) uno tantum loco apud poetam commemoratur: *ἄκουε Νέμεσι τοῦ θανόντος ἀρτίως* (El. 792).

7. Τύχη.

Fortunae deae a qua hominibus salus impertitur semel poeta mentionem facit in Oed. Reg. 1080 ubi legitur: *ἐγὼ δ' ἐμαυτὸν παῖδα τῆς Τύχης νέμων τῆς εὖ διδούσης κ. τ. λ.*

B.

Dii marini.

1. Ὠκεανός.

Ab Oceano qui apud Homerum nominatur *θεῶν γένεσις* (Il. 14, 302) fontes ortum ducere dicuntur: *Ἴναχε — παῖ κρηνῶν πατρὸς Ὠκεανοῦ* (fr. 256).

2. Νηρηΐδες.

Filiae Nerei qui a poeta in iis fabulis quae ad nos pervenerunt nusquam commemoratur, nominantur *ἑκατόμποδες* (Oed. Col. 718) quod epitheton non ad certum quendam earum numerum referendum esse, sed tantum permagnam harum dearum multitudinem significare videtur. Cf. Ellendt et Schneidew. ad h. l.

3. *Ποσειδῶν.*

Uterque poeta magnam Neptuni potentiam celebrat. Homerus appellat eum *μέγαν θεὸν* (Il. 8, 200); eodem modo noster poeta *μέγαν δαίμονα* (Oed. Col. 708). Apud utrumque reperitur *ἄναξ* epitheton (Il. 15, 8. Od. 11. 130. Oed. Col. 713). Praeterea Sophocles eum venerabilem dicit (*σεμνόν* Oed. Col. 55). Imperium quo totum mare regit designat epithetis: *ἐνάλιος θεός* (Oed. Col. 887, 1494) et *πόντιος* (ibid. 1071). Deus maris vel in terram vim suam exercet (*γαιάοχος* Oed. Col. 1071), quia fluctibus suis eam undique quatit (*τινάκτωρ γαίας* Trach. 502). (Cf. epith. Homer. *Γαιήοχος, Ἐνοσίχθων, Ἐννοσίγαιος*).

4. *Ἀμφιτρίτη.*

Neptuni uxor a poeta appellatur *πυλύκοινος* (fr. 597) quod schol. et Hesychius explicant *πολυάδελφος*. Rectius autem hoc epitheto quod a Sophocle Plutoni quoque tribuitur describitur mare omnes terrae partes completens vel mare in quo multi homines navigant. — Praeterea huic deae mare tanquam spatiosus thalamus assignatur (*μέγας θάλαμος Ἀμφιτρίτας* Oed. Rex 195).

C.
Dii qui imperium in terra et subter terram exercent.

1. *Γῆ.*

Hanc deam aetate Sophoclis jam cum Rhea Cretica sive Matre Idaea et cum Cybele Phrygo-Lydia confusam et promiscue cultam esse, docemur cantico illo Philoct. 391 sqq., ubi invocatur: *Ὀρεστέρα παμβῶτι Γᾶ, μᾶτερ αὐτοῦ Διὸς — μᾶτερ πότνια — ἰὼ μάκαιρα ταυροκτόνων λεόντων ἔφεδρε* cf. Schneidew. ad h. l. Contra in praeclarissimo illo Antig. cantico (v. 334 sqq.) quod incipit: *πολλὰ τὰ δεινά*, poeta Tellurem deam significat. Dicit eam *θεῶν ὑπερτάταν, ἄφθιτον, ἀκαμάταν* et quamquam summa potentia ac dignitate fruatur, tamen ab audacibus callidisque mortalibus vexari eorumque aratris quotannis teri.

2. *Διόνυσος.*

Praeter hoc Bacchi nomen multa alia apud Sophoclem occurrunt: *Βάκχος* (Oed. Rex 211) *Βάκχιος* (Ant. 154) *ὁ Βακχεῖος θεός* (Oed. Rex 1105) *Βακχᾶς* (fr. 598) *Βακχεύς* (Ant. 1122) *Ἴακχος* (ibid. 1154) quibus addendum est cognomen *βακχιώτας* (Oed. Col. 679). Rectissime igitur ab ipso poeta *πολυώνυμος* appellatur (Antig. 1115) v. Preller p. 416. — Bacchum Jove oriundum esse poeta declarat verbis: *παῖ Ζηνὸς γένεθλον* (Ant. 1149); potentiam ejus quam in baccharum mentes exercet verbo *ταμίας* (Ant. 1154) exprimit. — Numen ejus Thebis potissimum colebatur, ubi Semele natus ferebatur. Propterea nominatur *ὁ Θήβας ἐλελίχθων* (Ant. 155) et *ὦ Βακχεῦ Βακχᾶν ματρόπολιν Θήβαν ναιετῶν* (ibid. 1122—23) cf. Oed. Rex 210. — Personam hujus dei poeta vividissimis coloribus primo Oed. Reg. cantico his verbis pingit: *τὸν χρυσομίτραν τε κικλήσκω τᾶςδε ἐπώνυμον γᾶς, οἰνῶπα Βάκχον εὔιον Μαινάδων ὁμόστολον πλαθῆναι.* — Praeterea turbulentum illum thiasum, quem Bacchus una cum feminis bacchantibus noctu agere credebatur, ita ut stellae quasi participes hujus sollennis saltationis esse viderentur, describit poeta eo loco, ubi Bacchum dicit: *πῦρ πνεόντων χοραγὸν*

ἄστρων, νυχίων φθεγμάτων ἐπίσκοπον (Ant. 1146—47). — Ad saevam hujus dei quem jam Homerus *μαινόμενον* nominat (Il. 6, 132) et Bacchici cultus naturam *ταυροφάγος* quoque epitheton referendum esse videtur quod legitur in fr. 594. Certe notum est, festis hujus dei diebus varia animalia lacerari et crudam eorum carnem comedi solitam, unde vel deus ipse *ὠμηστής* dicebatur (Preller p. 432).

3. *Νύμφαι.*

Nympharum varia genera a poeta commemorantur. Primum nymphae montanae. Huc pertinent *N. Κωρύκιαι* (Ant. 1127) quae incolunt antrum Corycium, in monte Parnasso situm; *Ὀλυμπιάδες θεαί* (Aj. 883) i. e. nymphae quae vagantur in Olympo, Mysiae monte; praeterea eae quae a poeta nominantur *γείτονες Ἀρτέμιδος Ὀρτυγίας* (*ἀγροτέρας*) (Trach. 215). Deinde nymphae quae aquam incolunt: *N. ἔνυδροι* (Phil. 1454) et *N. ἅλιαι* (Phil. 1470). Denique nymphae pratenses: *N. λειμωνιάδες* (Phil. 1454). Pariter atque Homerus qui nymphas *τιθήνας μαινομένοιο Διωνύσοιο* nominat (Il. 6, 132). Sophocles Bacchum ab his deabus nutritum esse narrat id quod epitheto *θεῖαι τιθῆναι* (Oed. Col. 680) declaratur. — Praeterea nymphae nominantur *Βακχίδες* (Ant. 1128) quod Bacchum saltabundae prosequebantur. — *Μηλιάδες νύμφαι* quae in Phil. 725 commemorantur a terra Maliensi quam incolunt nomen acceperunt.

4. *Πάν.*

Rusticanum hunc deum poeta describit et per montes vagantem (*Π. ὀρεσσιβάτης* Oed. Rex. 1100) et choreas instituentem (*θεῶν χοροποιὸς ἄναξ* Aj. 699). *Ἁλίπλαγκτος* epitheton (Aj. 695) a propria quidem hujus dei natura abhorret, propterea tamen ei inditum est, quod posteriore tempore et maxime ex quo Atheniensibus classe confligentibus opitulatus est, in diis marinis haberi et *ἄκτιος* ac *λιμενίτης* vocari coeptus est. v. Lobeck. ad h. l.

5. *Δημήτηρ καὶ Περσεφόνη.*

Has deas artissimo inter se vinculo junctas esse et magnam utrique reverentiam deberi poeta declarat epithetis *μεγάλαι θεαί* (Oed. Col. 683) et *Πότνιαι* (ibid. 1050). *Δημήτηρ* sive *Δηώ* (Ant. 1121) a poeta appellatur *εὔχλοος* (Oed. Col. 1600) quod terram vere herbis viridibus floribusque vestit et *Ἐλευσινία* (Ant. 1120) epitheto notissimo. Filiam ejus quae et *Περσεφόνη* (El. 110) et *Περσέφασσα* (Ant. 894) dicitur una cum Plutone marito apud inferos regnare declarant duo epitheta: *ἡ νερτέρα θεός* (Oed. Col. 1548) et *ἡ ἀφανὴς θεός* (ibid. 1557). Epitheton *ἡ ἐνοδία θεός* (Ant. 1199 et fr. 480) rectius ad Hecaten referendum esse videtur, quam posterioribus temporibus cum Proserpina confusam esse constat. Cf. Schneidew. ad h. l.

6. *Ἅιδης.*

Rex inferorum (*ἐννυχίων ἄναξ* Oed. Col. 1559. cf. Homericum *ἄναξ ἐνέρων* Il. 20, 61) permultis a poeta nominibus insignitur. Persaepe enim appellatur *Ἅιδης;* praeterea *Ἀϊδωνεύς* (Oed. Col. 1600) *Πλούτων* (Ant. 1200) *ὁ παρὰ τὸν Ἀχέροντα θεὸς ἀνάσσων* (El. 184) *ὁ ἕσπερος θεός* (Oed. Rex 177) quod aedes ejus in occidentali terrae parte sitae putabantur;

ὁ κάτω θεός (Aj. 571) Ζεὺς χθόνιος (Oed. Col. 1606) quia eadem potentia apud inferos frui credebatur qua Jupiter in coelesti regno (cf. Ζεὺς καταχθόνιος Il. 9, 457). Preller p. 494. — Rectissime igitur sicut Bacchus a Sophocle ita Pluto ab aliis poetis πολυώνυμος dicebatur.

Omnes mortales imperio ejus subjectos esse poeta declarat πολύκοινος epitheto (Aj. 1193). Eandem vim habent quae leguntur in Antig. 804: παγκοίτας (Ἅιδου) θάλαμος et in El. 138: Ἀΐδα πάγκοινος λίμνα. Cf. epitheta Homerica ἀμείλιχος ἠδ' ἀδάμαστος (Il. 9, 158) κρατερός (Il. 13, 415) et ἴφθιμος (Od. 10, 534). Propter hanc mortiferam naturam dicitur etiam φόνιος (Oed. Col. 1689). Regnum Plutonis tenebrosum esse Sophocles exprimit tribus epithetis: Ἀ. μέλας (Oed. Rex 29) ἔννυχος (Trach. 501) ἀΐδηλος (Aj. 609). Sicut Homerus Plutonem στυγερόν (Il. 8, 365) ita noster poeta ἀπότροπον nominat (Aj. 609). Contra Herculem qui saevis excruciatus doloribus mori cupit his verbis auxilium Plutonis implorantem facit: ὦ γλυκὺς Ἅιδας, εὔνασον, εὔνασον ὠκυπέτᾳ μόρῳ τὸν μέλεον φθίσας (Trach. 1040—43).

7. Ἐρινύες καὶ Δίκη.

Furiae quae jam apud Homerum maleficia impiorum hominum ulciscuntur (Il. 9, 454. Od. 15, 234; 20, 78) a Sophocle poeta inprimis pio saepissime commemorantur. Divina earum origo significatur epitheto θεῶν παῖδες (El. 112). Ad magnam quae iis debetur reverentiam exprimendam quatuor locis eas appellat σεμνάς (Aj. 837. El. 112. Oed. Col. 89—90; 458). Poeta nominat eas virgines maxima celeritate praeditas (τανυπόδας Aj. 837 ταχείας ibid. 843. Ἐρινὺς πολύπους καὶ πολύχειρ (El. 489—90) quae omnia hominum facinora vident (ἀεὶ ὁρῶσαι πάντα τἀν βροτοῖς πάθη Aj. 836) et injurias hominum impiorum saepe quidem tardius, verum eo gravius exsequuntur (ποίνιμοι Aj. 843 μνήμων Aj. 1390 λωβητῆρες ὑστεροφθόροι Ant. 1074 ἁ δεινοῖς κρυπτόμενα λόχοις, χαλκόπους Ἐρινύς El. 490—91). Furiarum vindictam neminem effugere posse poeta exprimit verbis: μετάδρομοι κακῶν πανουργημάτων ἄφυκτοι κύνες (El. 1387—88). Hae deae in Oed. Col. 458 dicuntur δημοῦχοι, quia ab Atheniensibus et inprimis ab incolis pagi Colonei in clarissimo illo nemore religiose colebantur.

Cognata Furiarum et cum iis arte conjuncta est Δίκη dea, filia Jovis, quae apud Homerum quidem nondum dignitate deae gaudet, contra a nostro poeta satis frequenter diis anumeratur pieque colitur. Imperium suum excercet et apud deos superos (ξύνεδρος Ζηνὸς ἀρχαίοις νόμοις Oed. Col. 1382) et apud inferos (ξύνοικος τῶν κάτω θεῶν Ant. 451). In alto solio sedens (ὑψηλὸν Δίκας βάθρον Ant. 854) aureis oculis praedita (χρύσεον ὄμμα fr. 11) jura divina sancte tuetur (ὅσιον φάος ibid.). Praeterea nominatur a poeta παλαίφατος (Oed. Col. 1381) quia Justitia inde ab initio hominibus divinitus revelata est; τελεσφόρος (Aj. 1390) et ποίνιμος (Trach. 808) quod maleficia ulciscitur; denique πρόμαντις (El. 475) quod somniis futura portendit.

8. Ὕπνος καὶ Θάνατος.

Somnus quoque et Mors, qui jam ab Homero pro diis habentur (Il. 14, 233) et κασίγνητοι dicuntur (Il. 14, 231), a Sophocle divinis honoribus afficiuntur. — Et Somnus quidem

propter vim cui nemo resistere potest nominatur *ἄναξ* (Phil. 829). (Cf. *Ὕπνε, ἄναξ πάντων τε θεῶν, πάντων τ' ἀνθρώπων* Il. 14, 233) dolorum ac malorum expers (*Ὕπν' ὀδύνας ἀδαής, Ὕπνε δ' ἀλγέων* Phil. 827).

Mors dicitur *Γᾶς παῖς καὶ Ταρτάρου* et *αἰένυπνος* (Oed. Col. 1574, 1577) quia Somno quodammodo similis est. v. Preller p. 526. — Praeterea in Trach. 834 illud venenum genuisse dicitur quo Herculi pereundum fuit. Postremo etiam in Phil. 797—98 Mors tanquam deus a Philocteta invocatur verbis: *ὦ Θάνατε, Θάνατε, πῶς ἀεὶ καλούμενος οὕτω κατ' ἦμαρ, οὐ δύνᾳ μολεῖν ποτε;*



Bericht

über das Schuljahr von Ostern 1860 bis Ostern 1861.

Die Lehrpensa stimmen genau mit den in den letzten zwei Programmen ausführlich angegebenen überein. Die Uebersicht der Lectionen nach Lehrern, Classen und Fächern findet sich in folgender Tabelle.

Lehrer.	Prima.	Obersecunda.	Untersecunda.	Tertia.	Quarta.	Quinta.	Sexta.	Summa.
Rumpel, Ordin. von I.	2 Religion 8 Latein 3 Griechisch							13
Schöttler, Ordin. von II a.	4 Mathem. 2 Physik	8 Latein 4 Mathem. 1 Phys. com	4 Mathem. bin. m. IIb.					23
Scholz I, Ordin. von IIb.	2 Hebräisch	6 Griechisch	8 Latein 6 Griechisch					22
Dietlein.	3 Deutsch, 3 Gsch. u. Geogr. 3 Lat. in Ib.	3 Gesch. u. Geogr. 2 Latein		6 Griechisch				20
Petermann, Ordin. von III.	3 Griechisch			10 Latein 4 Mathem.	3 Mathem. 2 Franz.			22
Scholz II., Ordin. von V.	2 Franz.	2 Franz.	2 Franz.			4 Religion 10 Latein 3 Franz.		23
Muncke, Ordin. von IV.			2 Latein		10 Latein 6 Griechisch 3 Geschichte u. Geogr.	2 Deutsch		23
Goecker.	1 Sin	gen com	binirt	1 Singen 2 Franz. 2 Naturgesch.	1 Sin 2 Zeichnen 1 Naturgesch. im Sommer	gen com 3 Rechnen 2 Natur 3 Schreib. u. 2	binirt. 4 Rechnen gesch. comb. Zeichn. comb.	24
Braun.		2 Religion 2 Hebr.	2 Religion	2 Religion	2 Religion 2 Deutsch			12
Vorreiter.		2 Deutsch	2 Deutsch 3 Geschichte u. Geogr. 2 Hebräisch	3 Gesch. u. Geogr. 2 Deutsch		2 Geogr.	4 Religion	20
Röttig, Ordin. von VI.							10 Latein 2 Deutsch 2 Geogr.	14